



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Jure Rerum Ecclesiasticarum Ad Germaniae Catholicae
Principia Et Usum Pars ...**

Complectens Sectionem I. & II.

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii, 1758

Titulus VIII. De Sponsalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68048)

TITULUS VIII.
DE SPONSALIBUS.

Conf. Decretal. lib. 4. tit. 1. 5. & 8.
Ex Sext. tit. 1.

§. 280.

PER Sponsalia, quæ etiam de futu- Sponsalia
ro 17.) appellantur, intelli-
gitur Promissio mutua futuri Matrimonii,
ita ut uterque Sponsus & promit-
tat alteri matrimonium 18.), & al-
terius promissionem acceptet; nam
uno

17.) Frustra disceptatur de voce, modo
constet, quid per hanc intelligatur. Si-
cut aliud est stipulatio de futura emptio-
ne, aliud emptio; ita etiam discrepant
Sponsalia de futuro à matrimonio, quod
nominamus Sponsalia de presenti, ante-
quam copula carnali consummetur. Un-
de miramur, quod multi Protestantés
Doctores potius velint confusam doctri-
nam tradere, & a suis affeclis non in-
telligi, quam sequi planam & expeditam
significationem Juris Pontificii circa vo-
cabula Sponsalium de presenti & de futu-
ro.

18.) Ab iis, inter quos non potest consta-
re matrimonium, non possunt contrahi
vera Sponsalia.

uno quidem acceptante, non tamen repromittente, simplex erit promissio, vim & effectum verorum Sponsalium non habens.

Debent esse voluntaria:

§. 281. Sponsalia debent esse voluntaria, ab omni metu, dolo, & errore immunita. Nam si circa ipsam substantiam contingat error personae, metus gravis, dolus dans causam contractui, obligatio non inducitur. *Metus* enim opponitur conjunctioni animorum, in qua fundantur Sponsalia: nec metum inferens potest acquirere jus contra eum, quem iure naturali tenetur immunem prestare ab omni injuria & gravamine inde secuto, scilicet ab obligatione. Dein repugnat obligatio metu extorta ad Matrimonium: si igitur cessante metu tale Matrimonium contraheretur, fieret forte istud ex novo consensu libero; nam ex parte obligatione sponsalitia metu extorta non tenetur coactus, alias ipsum Matrimonium contraheretur ex metu. Ille tamen, qui metum intulit, tenetur ex sua parte, si contrahere velit metum passus. *Error accidentalis* plerumque non reddit Sponsalia irrita. Nihilominus si Sponsalia reputaret Sponsam nobilem, divitem,

tem, virginem, cum tamen non sit; tenetur Sponsa vel patefacere hos defectus, vel abstinere a matrimonio, si possit præsumere futuram Sponsi gravem indignationem.

§. 282. *Deliberata.* Unde infantes ante usum rationis, quo ante *Deliberata* septennium non præsumuntur præditi, non possunt obligari Sponsalibus 19.). Si intra annos impubertatis contrahantur, scilicet a fæmelis ante annum duodecimum, a masculis ante decimum quartum, poterit utervis, annos pubertatis adeptus, resiliere, etiamsi Sponsalia fuerint jurata 20.). Ratione *minoris* ætatis potest peti Restitutio in integrum, sicut in aliis contractibus, cum rationes, quæ militent pro restituendo minore circa alios actus, nempe immaturitas iudicii, gravis læsio, rescindibilitas contractus &c. suadeant etiam Restitutionem contra inita Sponsalia; in his autem nihil occurrat, quod singulariter talem Restitutionem prohibeat.

§. 283.

19.) C. 4. & 5. de Desponsat. impuber.

20.) C. 7. & 8. ibid.

Vera :

§. 283. *Vera.* Nam fide promittens revera non contrahit, contraquer non tenetur ex contractu tenebitur tamen ad refarcitionem injuriæ & damni, tali simulatione illati. Pro foro quidem externo præsumitur serius animus, nisi probetur fictio.

Signo externo expressa :

§. 284. *Signo externo expressa,* sive voce, sive facto, in præsentibus circumstantiis animum contrahendi Sponsalia declarante, etiam absque testibus, qui adhiberi solent, non ad valorem, sed ad meliorem probationem, & majorem honestatem. Si parentes consensum præstent, præsentibus & tacente filio vel filia, habentur Sponsalia pro validis, quia liberi consentunt loqui per os patris, vel matris in hoc negotio Sponsalium ex singulari Juris dispositione 21.). Si contrahantur Sponsalia insciis parentibus, possunt isti petere eorum rescissionem, modo justam habeant causam se opponendi 22.).

§. 285.

21.) C. un. §. 2. eod. in 6.

22.) Differt. de Sponsalibus Academicorum &c. edita Ingolstadii 1757.

De Sponsalibus. 369

§. 285. Sponsalia sunt vel *Absolu-absoluta*
ta, vel *Conditionata*. Conditiones ^{vel condi-}
quidem aliquæ insunt Sponsalibus ^{tionata.}
ex ipsa natura rei, vel ex disposi-
tione Juris, e. g. nisi Religionem
ingressus fuero &c. hæ tamen con-
ditiones relinquunt Sponsalia in ter-
minis contractus absoluti. *Conditio-*
nata dicuntur, quibus adjicitur con-
ditio honesta de futuro contingen-
ti: per quam suspenditur obligatio
usque ad eventum conditionis 23.).
Conditio inhonesta e. g. si admise-
ris flagitium, facit contractum tur-
pem, consequenter omni jure nul-
lum, & etiam impleta conditione
non obligantem. Si in tali casu fin-
gamus contractum innominatum,
facio ut facias; rursus intervenit tur-
pitude vitians contractum. Pro fo-
ro externo Judicis est dispicere, quæ-
nam pars alteram seduxerit, & inde

A a con-

23.) Si post Sponsalia conditionata sequatur copula carnalis inter Sponsos, hi recessisse a conditione & consummasse matrimonium censentur præsumptione tam forti, ut non admittatur probatio in contrarium, exceptis illis locis, in quibus obstat Decretum Concilii Tridentini de clandestinis nuptiis. c. 6. de condit. appos.

conformare sententiam juri unius & culpæ alterius 24.). Quando laborantes impedimento juris humani contrahunt sub conditione, si Papa dispensaverit, vera non sunt Sponsalia, utpote inter personas jure inhabiles ad matrimonium: excusant tamen possunt, qui ex quadam honestate sibi fidem dare intendunt, ne expensæ pro impetranda dispensatione incassum fiant. Similiter potest adjici *modus*, inducens obligationem ad subeundum aliquod gravamen honestum. Item *dies*, a quo incipiant efficaciter obligare Sponsalia; vel quo finiatur obligatio, si interim non fuerit contractum matrimonium.

*Admittunt
Arrham,*

§. 286. *Arrha* potest adjici Sponsalibus, reversura ad dantem post dissoluta ex legitimis causis Sponsalia, vel post contractum Matrimonium, seclusa contraria consuetudine; amittenda autem a dante, vel in duplo restituenda ab accipiente si absque legitima causa resilierit 25.). *Sponsalitia largitas* manet accipienti irre-

24.) C. 1. & 2. de adulter.

25.) L. 3. & 5. C. de Sponsalib. &c.

irrevocabiler secuto Matrimonio : hoc non secuto redit ad dantem, nisi ex hujus culpa matrimonium non perficiatur 26.). *Pœna* hodiernis moribus videtur posse adjici, solvenda ab injuste resiliente 27.).

§. 287. Illi, inter quos valide & *Et Procuratorum.* licite stare potest Matrimonium, Sponsalia contrahere possunt, etiam per Procuratorem, speciali & non revocato mandato instructum. Inter Catholicam & hæreticam personam plerumque sunt invalida; cum tale matrimonium plerumque sit illicitum, dari autem non possit obligatio ad illicitum.

§. 288. *Effectus Sponsalium præcipuus est obligatio contrahendi Matrimonium, & quidem gravis pro foro interno: pro foro autem externo urgetur quidem promittens servare fi-*

A a 2 dem

26.) L. 15. C. de donation. ante nupt.

27.) Leges quidem veteres nolunt pœnam adjici Sponsalibus : communi tamen consuetudine recessum est ab hac Juris dispositione, teste LEONE Imper. Nov. 18. Ex cap. Gemma. 29. de Sponsalib. in neutram partem aliquid probatur, cum ibi sermo sit de Sponsalibus infantis, utique irritis & nullis.

dem, etiam intentatis censuris: si tamen ob animi averfionem timenda essent gravia diffidia & scandala, compellendus non esset, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere 28.)

Si qui tamen contraherent expresse tantum sub obligatione levi, non essent vera Sponsalia, sed arbitraria promissiones. Si tempus implenda promissionis non fuit adjectum, servanda fides est, quando alterutra pars rationabiliter exigit. Alius effectus Sponsalium validorum 29.) absolute & cum determinata persona contractorum, est *Justitia publica honestatis*, vi cujus utervis Sponsorum non potest valide contrahere Matrimonium cum alterius partis consanguineis in primo gradu 30.) lineæ rectæ vel obliquæ, etiam post Sponsalia

28.) C. 17. de Sponsalib.

29.) Jus antiquum dederat hunc effectum etiam Sponsalibus invalidis. c. un. de Sponsal. in 6.

30.) Ad hunc gradum & ad valida Sponsalia istud impedimentum restringit Conc. TRID. sess. 24. de reform. matr. c. 3. quoniam *niam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispensatione observari.*

falia priora per mortem, vel alia ratione legitime dissoluta.

§. 289. Obligatio Sponsalium, *Dissolubilitas*, etiam jurata (31.), nonnunquam dissolvitur utrinque, uti per mutuam remissionem, lapsum temporis finienda obligationi adjecti, professionem in approbata Religione, vel impedimentum matrimonii superveniens. Nonnunquam datur uni parti justa causa resiliendi, obligatione alterius permanente, e. g. per unius subsequenter fornicationem (32.); flagitium quod infamiam parit; lepram aut morbum contagiosum; supervenientem notabilem deformitatem, paupertatem, aliamve mutationem, quæ matrimonium redderet

A a 3

ret

31.) Si Sponsalia sint jurata, & adest justa causa dissolvendi ea, non requiritur specialis absolutio aut dispensatio in juramento, quod sequitur naturam contractus.

32.) Si uterque Sponsus fornicetur, habet Sponsus, non tamen Sponsa justam causam resiliendi. Similiter fornicatio Sponsæ antecedens ignorata præbet causam resiliendi, secus fornicatio antecedens Sponsi, quia Sponsa per fornicationem notabiliter redditur vilior: secus Sponsus ex communi æstimatione hominum.

ret notabiliter molestius. Item per
 ingressum in Novitiatum, suscepto
 Ordines minores, vel Sponsalia sub-
 sequentia 33.): quia talis censetur
 renunciare juri suo. Item propter
 causas antecedentes ignoratas, quæ
 cognita retraxissent a contractu. In
 ejusmodi tamen casibus judicium Ec-
 clesiæ regulariter interponi debet,
 nisi causa sit publica: Judex autem
 est Ecclesiasticus, habens jurisdic-
 tionem pro foro externo.

TITULUS IX.

DE CONTRACTU & SACRAMEN- TO MATRIMONII.

Conf. Decretal. lib. 4. tit. 1. §. 5.

§. 290.

*Matrimo-
 nii defini-
 tio:*

MATRIMONIUM sumi potest vel
 in ratione actualis conventio-
 nis & contractus; sub qua confide-
 ratio-

33.) Sponsa prima innocens non tenetur ce-
 dere jure suo, etiamsi Sponsalia secun-
 da fuissent juramento vel copula carnali
 firmata, quæ adeo sunt invalida, ut non
 obligent, etiamsi prima dissolvantur.